

## Amores 1,4

1 Aestus erat, mediamque dies exegerat horam;  
adposui medio membra levanda toro.  
Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestrae,  
quale ferē silvae lumen habere solent,  
5 qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebō,  
aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.  
Illa verecundis lux est praebenda puellis,  
qua timidus latebras speret habere pudor.  
Ecce, Corinna venit, tunica velata recincta,  
10 candida dividua colla tegente coma—  
qualiter in thalamos famosa Semiramis isse  
dicitur, et multis Lais amata viris.  
Deripui tunicam—nec multum rara nocebat;  
pugnabat tunica sed tamen illa tegi.  
15 Quae cum ita pugnaret, tamquam quae vincere nollet,  
victa est non aegre proditione sua.  
Ut stetit ante oculos posito velamine nostros,  
in toto nusquam corpore menda fuit.  
Quos umeros, quales vidi tetigique lacertos!  
20 forma papillarum quam fuit apta premi!  
Quam castigato planus sub pectore venter!  
Quantum et quale latus! Quam iuvenale femur!  
Singula quid referam? Nil non laudabile vidi  
et nudam pressi corpus ad usque meum.  
25 Cetera quis nescit? Lassi requievimus ambo.  
Proveniant medii sic mihi saepe dies!

1	<i>aestus</i> <i>us m</i> :	Hitze
	<i>exigere</i>	zu Ende bringen
2	<i>membra levanda adponere</i>	die Glieder zum Erholen hinlegen
	<i>torus, i m</i>	<i>Bett</i>
3	<i>adapertus, a, um</i>	geöffnet
4	<i>ferē (Adv.)</i>	in der Regel
5	<i>crepusculum, i n</i>	Abenddämmerung
	<i>sublucere</i>	hervorleuchten
	<i>Phoebus</i>	Beiname des Apoll als Sonnengott
7	<i>verecundus, a, um</i>	scheu
	<i>praebere</i>	geben, gewähren
8	<i>pudor, oris m</i>	Scham, Scheu
	<i>latebrae, arum f</i>	Schlupfwinkel, Versteck
9	<i>velare</i>	verhüllen
	<i>re-cingere</i>	losgürten
10	<i>candidus, a, um</i>	schneeweiss
	<i>collum, i n</i>	Hals (hier poetischer Plural)
	<i>dividuus, a, um</i>	geteilt; hier: gescheitelt
	<i>coma, ae f</i>	Haar
11	<i>thalamus, i m</i>	Brautgemach
	<i>Semiramis</i>	mythische Begründerin von Babylon
12	<i>Lais</i>	berühmte Hetäre in Korinth
13	<i>rarus, a, um</i>	dünn („da es (das Kleid) nur dünn war“
15	<i>tamquam quae</i>	„wie eine, die..“
16	<i>non aegre</i>	nicht mit Mühe, mühelos
	<i>proditio, onis f</i>	Verrat
17	<i>velamen, velaminis n</i>	Hülle, Kleid
18	<i>menda, ae f</i>	Makel, Fehler
19	<i>umerus, i m</i>	Schulter
	<i>lacertus, i m</i>	Arm
20	<i>papilla, ae f</i>	Brust
	<i>aptus, a, um</i>	passend, geeignet
21	<i>castigatus, a, um</i>	straff
	<i>planus, a, um</i>	flach
	<i>venter, ventris m</i>	Bauch
22	<i>latus, lateris n</i>	Hüfte
	<i>femur, n</i>	Oberschenkel
25	<i>lassus, a, um</i>	ermattet, erschöpft